

C V D

A I G G

T 5 9 6

99



C. e. 88

Wynke Dyck

01

0

Me

~~2 N. 28.~~

II 2. c. 28



ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ
ELISABETHÆ
BYRENIÆ.

perscriptus ab
JOANNE CASELIO.



HELMÆSTADII
In academia IVLIA, excudebat Iacobus
LVCIVS. CIJ. IJ. XCIII.

ΣΤῆσά σοι, ὦ σεμνή, ὀλίγη, Βαρυνιαῖς, εἰκώ,
ἐτῆ μδυ, τῆ δὲ ἔ, ἀλλ' ἐνὶ παντὶ τέω,
οὐ σοφίης ὤρη τις εἴαν δέγε μῆσ' Ἰπνεύη,
ἐ γρόνω, ἐ δὲ βίη καππέσοι ἐδεμίη.

Ἰωάννης

IACOBO BORDINGO,
CANCELLARIO MEGAPOLITANO,
IVRISCONSULTO, ET ORATORI EXIMIO,

ΚΑΙ Ο ΜΕΓΙΣΤΟΝ, ΑΝΔΡΙ ΠΟΛΙΤΙΚΩ

S. D.

JOANNES CASELIVS.

ET amicè & rectè tibi persuaseras, ut
ea epistola, quàm suscepto itinere
Cimbrico de via ad me dedisti, indi-
cas, me, accepto luctu tuo, quo nul-
lus tibi hodiè posset accidere graui-
or, aliquid meditaturum, quod vel pro consola-
tione legeres. Venit haud dubiè tibi in mentem,
non solum inueteratæ nostræ necessitudinis, pro
qua & nihil non tibi debeo, & quod debere me
intelligam, vltro cupidè persoluo, sed singula-
ris quoq; meæ affectionis, qua semper sanctam
istam feminam obseruabam. Nec enim dubi-
to, quin hoc quoq; ex tot annorum consuetudi-
ne facilè animaduertes. Itaq; ut accepimus è
fama, eam adijisse cælestem patriam, honorem ei
postremum habere statim decreui, id est, virtu-
tes, tum ut ijs meâ operâ quasi quoddam præmiũ
persolui videretur, tum ut hoc exemplo ad simi-

A 2

les in-

ΕΠΙΤΑΦ. ELIS.

les inflammarentur aliæ, prædicandas quemadmodum possem, suscepi. Cæpi mature: opera interrupta fuit: perfecit tardius. Id qualecunq; est, neque enim mihi ipse, nedum aut alijs, aut ipsi negotio, satisfeci in hac oratiuncula, tibi gratum futurum non dubito. Dolori modum pro tua sapientia, ipse statueris: amissæ autem verissimarum laudum consideratione & recordatione illum nequaquam augebis, quod aliquis ex vulgo faceret: sed eius desiderium, adhibita in consilium, seu admissa potius in auxilium ratione, de die in diem magis magisq; lenies. Vale. Helma-
stadio, ex acad. Iul. K. Nouemb. cio. io. xciii.



ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ.

Non sinit mihi licet, ni fallor, fateri errorem meum, nec ita magnæ tamen affinem culpæ, quippe qui idem etiam argumentum fuerit conatus egregij. Cum enim allatum esset de obitu
ELISABETHÆ BVRENIAE, commu-
nem

B V R E N I A E.

men mihi dolorem iudicavi, cum eius marito,
IACOBO BORDINGO, amico & collega
veteri: simul existimans, mearum esse partium,
& ipsum consolari, si quid ad eam rem idoneum
mihi in mentem veniret, & illam defunctam de-
bito honore prosequi, si virtutem muliebrem a-
gnoscerem, & explicare oratione possem. Itaq; in-
stitui aliquid, ita ordiens.

Traueferâs erat, & magnus, BURENIVS: etsi
Ruri natus erat, sed cum dilexit Apollo

A paruo puero, & Charites, doctæq; sorores.

Ex operis raptum duxere in musica tempe,

Doctrinaq; animum tenerum poliere salubri.

Proinde etiâ magnosq; duces, vrbesq; celebres,

Erudijt morum exemplis, & voce diferta.

Præcipuè id dicturus eram, quemadmodum, illo
etiam nondum satis culto sæculo, diuinitus ma-
gis, quàm consilio, se ad disciplinam principis
peripateticorum contulisset Arnoldus Burenius,
& studium eloquentiæ cum paucis excoluisset
sedulò, vtq; auctor extiterit, cum suis auditori-
bus, tum alijs, eius veræ viæ ingrediendæ, quamuis
tum multis adhuc obstructæ sentibus, siue diffi-

cultatibus: quam etiam hodiè fuga laborū mul-
 ti fugiunt, sicut & cætera: sed institutum abru-
 pit aduersa valetudo: quod nisi fuisset: tamen,
 quia altius exordium esset, id abiiecissem: & re-
 ctè, opinor, sententiam mutavi, non de patre,
 sed de filia potissimùm dicturus. Illius autem
 laudes viri laudatissimi antè passim attigeram, &
 fortè, nactus occasionem, tangam sæpius. Silen-
 tio autè sepelire, nec possum, nec debeo, minimæ
 eius filiarum memoriam. Burenus enim ex AN-
 NA SERTORIA, honesta cum primis fæmina,
 quatuor filias susceperat: mediæ sunt superstites:
 prima nupserat iuueni liberalibus disciplinis e-
 gregiè exculto, & in arte sua iam oriente, cum
 ascitus esset in ordinem medicum: & verò ipsam
 & maritum, anno altero ferè abstulit vna di-
 es, & funere merfit acerbo, sæuiente pestilentia,
 nec minus seditione, in illa vrbe, bello Danico.
 Tres tum supererant sorores, quæ domi & ipsæ
 à matre educabantur pudicè, & omninò rectè.
 Disciplina enim Rostochiana, quam ego probā
 admodum esse, & meritò prædicandam iudico.
 Educabantur enim ibi, & educantur hodiè filia
 fortu-

B V R E N I A E.

fortunatorum, & mediocrium ciuium, non ad
 defidiam & luxum, sed ad laborem & modesti-
 am: multoq; adeò diligentius, quàm puellæ hu-
 mili loco natae. Hinc cura & prudentia matrum
 enitet, & laus totius fæminei sexus isto loco elu-
 cescit, de qua audiemus non nihil & inferius. Ita
 educatae singulari quoq; diligentia Burenia, faci-
 le primarios maritos nactæ fuerunt, & satis locu-
 pletes secunda & tertia. Viuebat virgo ELISA-
 BETHA apud matrem, cum IACOBVS BOR-
 DINGVS, è Gallia reuertitur: qui etsi hodiè sua-
 pte luce clarus est, quid vetat tamè clarissimorum
 eius parentum mentionem facere? Patre natus
 fuit magno illo BORDINGO, non solum no-
 bili medico, sed viro multiplicis & bonæ doctri-
 næ copia instructissimo, humanarum rerum pe-
 ritissimo, summis viris per Europam carissimo,
 dilecto etiam regibus: matre, Nigrona Galla,
 perquam nobili, fœmina lectissima. Ita factum
 fuit, vt IACOBVS filius cupidè se in Galliam
 contulerit: quo loco cum & ea studia, & eas lit-
 teras, quas apud nos, & me quoq; auctore, summa
 diligentia colere cœperat, percoluisset, etiam a-
 nimum

nimum adiunxit ad studium legum ciuiliū.
 Reuersus igitur ad matrem, & ipsi & omnibus
 gratus fuit, iuuenis & doctrina, & virtute & æta-
 te florens. Non illa tunc, etsi nubilis, nupturie-
 bat, & ille ad nuptias minimè properabat: eue-
 nit tamen, quod vtrinque optarent. BORDIN-
 GVS non pulcritudine formæ, qua honesta ta-
 men erat, sed multò magis eximia specie morū,
 comitatis, & animi captus, eam è cæteris delige-
 bat, delectam ambiebat. Nec petitor repulsam
 tulit, nec omninò ferre debuit, quem nulla vir-
 ginum fortunatarum & primariarū in vrbe am-
 plissima sperneret: nulla non tantum iuuenem,
 non solum illo loco, sed etiam apud principes
 gratiosum, optaret. Mater lætabatur genero,
 multò etiam magis, quàm superioribus: & meri-
 tò, quanto nouus hic cæteris præstantior, quod &
 ipsi profitebantur, & gaudebant. Lætabatur &
 sponsi mater, nuru optatissima, & vt res docuit,
 obsequentissima, filia BVRENI, virgine lau-
 datissima, cum primis ob mores, singulareſq; ani-
 mi dotes. Ita coniuges facti, optimis auspicijs,
 BORDINGVS & BVRENIA, cæperunt vnâ
 viue-

B V R E N I A E.

viuere suauissimè, cuiusmodi vitam omni vita agere in animum induxerant, & egerunt omnino, quandiu vtriq; vitam concessit pater benignissimus. Ad mariti laudes accuratius explicandas, ne eius aurib. aliquid dare, vt fieri solet, videar, transire non debeo: nec tamen reticere possum, ipsum omnes partes fidelis mariti, à tædis nuptialib. incensis expleuisse, ad luctus vsq; tædas vltimi. Illa vero ex quo die BORDINGIA quoque facta & dicta fuit, qui mos ibi religiosè obseruatur, ita se erga maritum in vltimum vsq; diem gessit, vt consentaneum fuit exemplo domestico, maternæ institutioni, & disciplinæ patriæ. Viderat enim, quemadmodum mater maritum iam octuaginta & annos plures natum semper coleret, & cum grauissimo omnium morborum conflictantē in tertium, ni fallor, annum summa cura foueret. Quid autem mater filias aliud doceret, quàm quod ipsa laudatissimè faceret, sicut profectò ipsam facere vidimus. In vniuersum autē Rostochianæ matres familias, sicuti supra dixi, minime in ignauo otio educatæ, non solum rem familiarem summa diligentia

B

curant,

curant, sed etiam maritos omni obseruantia colunt, & quemadmodum dominæ domus à familia audire cupiunt, ita & maritis obsequentissimæ, & eorum obseruantissimæ esse & prædicari perpetuò student, & mirificè etiam gaudent. Non voluit igitur non tanti boni, tamq; veræ laudis particeps esse, neq; potuit non fieri particeps Bordingia: quin ipsa se ad omnes nutus mariti comparabat, quem etiam suis perpetuis obsequijs ita sibi deuinxerat, vt cum illa tota in potestate & voluntate mariti esset, ipse quoq; nihil, nisi quod vellet vxor, velle videretur: deniq; concordius coniugium, neq; vsquam gentium, neq; in vllis ædib. vidi, quàm Bordingianis: quo maius bonum excogitare cõiugibus ne ipse quidem princeps poëtarum potuit. Optat enim eam Phæacum regis filia, vafer ille Ithacæ princeps, maritum, domum: sed in ædibus vtriq; concordiam: nec affirmare dubitat, nec ad præstantiam, nec ad firmitudinem quicquam melius, quàm si maritus & vxor morib. & totis animis consentientes rem familiarem tueantur, & domum suam administrent: nihil ipforum hostium animis grauius pos-

us posse euenire: nihil iucundius eorum amicis-
 simis: nec ipsos posse hac laude maiorem adipi-
 sci. Hoc communi, peneq; summo bono, & lau-
 de maxima potiri fruiq; contigit his coniugibus.
 Nec erat autem, nec esse potest concordia sola:
 siue publicam dicas, siue domesticam. Vel enim
 cum ea cæteræ virtutes sunt coniunctæ, vel plæ-
 ræq; cæterarum. Primùm enim inter malos viti-
 isq; obsitos concordia non oritur, nec ea sperari,
 aut coalescere potest, nisi inter eos, qui virtuti ex
 animo student: quod explicare, nec huius loci,
 & magnæ doctrinæ, nec mediocris eloquentiæ
 est. Ad B O R D I N G I A M redeo, in qua nulli-
 us virtutis studium, quæ in mulierem caderet, de-
 siderares. De quibusdam primisq; adeo dixi antè:
 minora & communiora muliebria studia, siue
 officia, nec explicanda, nec prætereunda prorsus
 existimo. In his vnum & quotidianum, quòd o-
 mnia & domi, & in hortis, fieri volebat, & dispo-
 nebat ordine, mundicie & elegantiae mirè stu-
 diosa in omnibus. Pigritiam in familia non fere-
 bat: etsi hanc paruum alebat: vt quæ solitaria vi-
 deretur, absente præsertim marito. Is enim sæpè
 B 2 aberat

aberat in negotijs publicis, vt qui amplissimo & grauiſſimo munere Cancellarij tot annos fungeretur. Erat autem minimè ſola, quæ quotidiè præter familiam, & pedifequas, & ſororum filias, & honeſtas alias puellulas circum ſe libenter haberet. Hæ habebant exemplum, quod non ſine fructu intuerentur, & ex quo, quod ipſæ nec animaduernerent, nec intelligerent, proficerent tamen quotidiè. Ipſa vero etiam eas ſalubribus præceptis imbuebat, ſine moroſitate, cum ea nihil eſſet ſuauius. Fruebantur eodem commodo, quæ volebant vicinorum filia, quibus omnibus ſemper eius patebat domus. Accedebant & nonnunq; mea, quod ego in foro academico ad viam publicam habitare, ad quam quoq; ex tranſuerſo ab angulari domo proxima eſſet **BORDINGIANA**: quas amiciffimè complexa ſemper fuit: quod ipſæ mihi harum meditationum mentionem facienti vtrò prædicarunt. Nec dubito, quin & ipſæ aliquid boni à tam benefica fæmina, quodq; pro ætate potuerint, domum ſecum reportarint. Ita, quæ liberos enixa non fuiſſet, multis pro matre fuit, benè tot puellas erudiens:

diens: quod quæ faciat, & ipsa benè de republica mereri videatur. Quod dixi, eam suas otio torpere non fuisse, etsi rem familiarem non negligeret & ipsa curabat, tamen hoc non faciebat avaritia, in ea præsertim omnium rerum necessariorum abundantia. Hoc satis argumenti, non solum quòd familiam egere non patiebatur, sed quotidie multum etiam in pauperes & tenuiores, probante eam beneficentiam marito, erogabat. Considerabat enim prudens fæmina, & intelligebat multas calamitates mortalium, & humanitatis esse sentiebat, aliorum misereri, & bonorum miseras aliqua ope subleuare: quod fortunatarum pauca admodum animaduertunt, dum vel ipsæ auarè rem domesticam augent, vel in delicijs vitam agunt domi, ad ea, quæ foris sunt, nec animum adijcientes, nec conuertentes oculos. Ita autem fuerat educata, & plures iam annos miseriæ humanæ multum degustarat. Non quidem graues morbi eam subitò oppresserant, sed diuturna inualetudo, corpusculum alioqui tenue labefactarat. Ea calamitas supra omnes marito maximo semper dolori fuit. Verum ita

EPI T A . E L I S .

sunt humana, vt ne summa quidem felicitas certitudinem & perpetuitatem, ac rarò diuturnitatem habeat. Tam longo autem tempore nihil de vtriusq; decessit beneuolentia, sed augeri vtrinq; mihi homini ipsis perquam familiari, alijsq; item semper visa fuit. Assequi verò verbis non possum, quàm patienter, & quidem supra muliebrem conditionem, vt ita dicam, virili animo aduersa tulerit: id quod profectò minus miror, cum statim ab initio animum confirmarit, & omnia sua ad DEVM religiosè retulerit. Eam autem pietatis laudem, quæ facile vincit omnes cæteras, non superstitiosæ aniculæ, quarum hoc iudicium non est, sed honestissimæ & sanctissimæ quæq; mulieres vno ore iam tum BVRENIAE tribuebant, quæ multo modestissimè de se sentiens, nullam ipsa sibi arrogabat: etsi studiosissima erat æquè omnium siue maximarum. O verè reginam, siue arcem etiam virtutum, minimarum, maximarum omnium pietatem, quam qui firmo præsidio teneat: is iam vita beata, non ea de qua plerique mortalium variè, sapientes, acutè, nec paulò verius disputant, optabili quidem & illa, at à
paucis

paucis & rarò, nec facile comparabili: verum altera longeque optima, nec vllis deinceps periculis mutationibusue subiecta potiatur. Hæc enim est arctissima cum DEO necessitudo, summi que boni in æternum adeptio. Eius igitur ipsa in rebus humanis etiamnum versans, matrona compos facta fuit. De quo dubitandi causæ nemini quidquam esse potest, qui animadvertat in ea, quorum partim dicta sunt, partim deinceps dicentur. In ijs hoc quasi primum, quòd non præ se ferebat personam aliam, quàm suam, siue quàm ipsa semper gereret: quin eos oderat, qui quandam speciem pietatis vultu, sermone, cæremonijsque ostenderent, cum animis multò alijs rebus, quàm cælestium cogitatione, vel desiderio essent occupati: & factis denique non professione minimè respondentibus contraria omnia, si quis & illa spectaret, testarentur. Ipsa verò sollicitè agebat, vt, quæ vera essent, & in his potissimum necessaria, cognosceret: quæ recta, faceret, nec ab his, quantum hominis diligentia præstari posset, latum,

Ε Π Ι Τ Α Φ. ELIS. BVRENIAE.

latum, vt aiunt vnguem declinaret. Ita semper vitæ sanctimoniam cum fide sibi coniungendam esse credidit: nec hanc veram esse sensit, quæ absq; illa foret. Nec est autem vllius mortalium alia sententia, qui sincerè pietatem colunt. Quotidiè igitur BVRENIA, & ipsa meditabatur, & legebat, & audiebat sacras litteras: quod si per valetudinem nimis afflictam multos sæpe menses ædem sacram adire non poterat, illa quæ modo dixi maiore cura agebat, & domi maritum, ipsum quoq; semper pretati deditum, vel de theologis quotidiè audiebat grauem & doctum virum. Verum ijs non contenta quæ tantum esse cognitionis & scientiæ viderentur; animo primum ab omni labe purgato, vt in eo nihil affectuum amplius iugum rationis excutientium hæreret, sed essent ibi moderata omnia, ijs actionibus semper incubuit, quæ singularum virtutum sunt, maximè muliebrium. Itaq; vitam egit puram & æquè religiosam, vt sacrae virgines, quæ se ad cultum perpetuum numinis religiosè à teneris, vel etiam sacramento obstrinxissent: nec de eiusmodi ego loquor, quæ de more agere videntur, sed quæ cum pietatis nostræ capita rectè intelligant, tum seriò & ex animo agunt omnia, & cælestium curam, omni reliquo splendore abiecto, noctes diesq; persequuntur. Ferè altius prouehor, vt hanc ELISABETHAM nostram cum diua ELISABETHA comparem. Quid ni vero? cum illa princeps se ad humilimas qualq; demiserit, hæc iisdem virtutibus ad illam, siue quò illa, ascenderit. Ita enim vitæ suæ spatium confecit, vt & ipsa cælestium bonorum in æternum particeps facta sit: siquidem vera sunt, quæ de ea hætenus exposui. Nihil autem falsi me dixisse, testatur omnis illa ciuitas: in qua qui aliquid intelligunt, mihi pro hac veritatis prædicatione gratias agent: quos etiam, siue qua præterij, quæ omitti non oportebat, siue quæ attuli, ex dignitare rei non satis illustraui, vt mihi veniam dent, vehementer rogatos velim.


F I N I S.


154299

X 220 3730

Sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ
E L I S A B E T H Æ
B V R E N I A E .

per scriptus ab
J O A N N E C A S E L I O .



HELMAESTADII
In academia IVLIA, excudebat Iacobus
LVCIVS. CIJ. IO. XCIII.

